Varsaviensis Collegii Soc. Jesu: Ordo equitum et aquilarum.

ORDO EQUITUM (a)

(b) Et AQUILARUM,

Ex *Nido* Aquilæ Magnarum alarum CHRISTI,
Sacri Romani Jmperii à Christo Fundati

PRINCIPUM,

Divorum PETRI & PAULI Apostolorum,
Olim à Principe Præsulum Leone Decimo,
In *Nido* duodenarum Aquilarum, Romæ,

INSTITUTUS.

Nunc

In Nido Aquilæ Albæ, Lechiâ,
In medio Romæ inversæ, in Corde Regni,
Cum Armis Serenissimi AUGUSTI III. Regalium Gladiorum,
Cum Avito CZARTORYSCIORUM Equite

IN

PRINCIPE PRÆSULE Cathedræ PETRI & PAULI (c)

CELSISSIMO

THEODORO CASIMIRO

Duce in Klewan & Zukow

CZARTORYSKI,

EPISCOPO POSNANIENSI,

Sub auspicatissimum suæ Cathedræ Ascensum,
Applaudente Polona Aquila, gestiente Palæmoniæ Equite

INNOVATUS.

A devinctissima inter *Ordines* Religiosos Societate JESU Colleg: Varsav:

SALUTATUS.

ANNO DOMINI 1739.

VARSAVIÆ.
Typis S. R. M. *in Collegio Societatis* JESU.

(a) *Ordo Equitum SS. Petri & Pauli à Leone X. Papa Institutus Romæ.* Nidus Aquilarum seu Adnotationes Historicæ de Origine Equitum Aquilæ Albæ. *fol:* 316.
(b) *Apostoli Aquilæ.* S. August: *Cursor velocissimus, Aquila in Cœlum volans S. Paulus.* S. Chrysostom: Orat: Encom: in Principes Apostol: apud spanner.
(c) *Posnaniensis Cathedra sub titulo SS. PETRI & PAULI erecta.*

Si genus excutias, EQUITES ab Origine prima, usq; per innumeros invenientur Avos. *Ovid.*



Huc AQUILÆ! huc EQUITES! huc curre *pedester*
Apollo!
Huc *Ordo* totus! currere svadet *Eques*,
Invitat campus currendi; sed peto metam?
Est EQUITIS *Scutum* Meta perampla satis.

CELSISSIME ANTISTES

AD limina Apostolorum Posnaniensis Cathedræ Indigetum, ultrò vestigans & ambiens honor viator, tandem pervenit Eques. Amisit nuper Honor Præsuleus Pedem *in* HOSIO, *quem feralis* (c) *Octobris scorpio lethali momordit vulnere! hodie ad pedes Apostolorum Posnaniensium, cum avito* CZARTORYSCIORUM *Equite instituit peregri-*

A gri-

(c) Jllustrissimus HOSIUS Episcopus Posnaniensis pro insigni habens; *Pedem*, mortuus Mense Octobri.

grinationem. Venit inquam ad Limina Apostolorum Honor voto obstrictus Domui CZARTORYSCIANÆ. *Pridem enim in votis habuit* CZARTORYSCIANÆ *Domus Magnos invisere Lares, sed distulit hucusq; vota polus, ut præconcepta pridem desideria crescerent majora cordibus singulorum. Postqvam verò è Posnaniensi Cathedra* Pedem *extulit avitum* HOSIUS, *vacuæ suo Præsule Curules Equitē præstolabantur* CZARTORYSCIANUM, *Infula magnum Caput expetebat redimire, Principes Apostolorum Te in Posnaniensi Cathedrali Principatu Hospitem & Incolam Loci Ordinarium habere gestiebant. Ingemuit* Filius Columbæ *Petrus Posnaniensis Basilicæ Pater, Paulus Petri contubernalis ad Te suum Episcopum scripsit Epistolas citra dubium,ut* STANISLAO *stator laudis succederes* THEODORE, *bono Nervæ optimus Trajanus Cæsar ex utroq;. Ast ubi* CELSISSIME

ME *Phosphore Poloniæ, gaudia Illorum tantisper moraris, ipsi Apostolorum Principes, Sacri Cœlorum Politici, Te Principē salutant & toto* Corde Regni *complectūtur. Nimirū, Illi sunt Sacri Romani Imperii Principes ab Augustissimo Cæsare Christo creati: Tu verò* CELSISSIME, *es Princeps natus; idcircò: decuit servari leges officiosæ politiei, ut Principes creati Principē natum priùs inviserent, quàm viserentur. Non vanū utiq; nomen gerit Posnania, bene novit, cuinā Principē cultum deferre priùs teneatur. Comitatus Apostolorum Principes totus* Ordo Equitum, CZARTORYSCIANUM *salutat Bellerophontem. Hunc* Ordinem Equitum, *Ordinem Equitum aurei velleris esse censebis, quia sub Te* CELSISSIME *Pastor, quia à Tuis ovibus* CZARTORYSCIANO *Honori militantibus instituitur. Sive Equitum liliatorum esse Ordinem pronuntiavero, fidem adstrues Tuo Nomine* CASIMIRE CELSISSIME,

 nam

nam & Jagellonides Casimirus Eques liliatus est? *Nemini id* ſub Roſa eſt, *qui manu Principem florum lilium amplectitur, Patrio Palæmoniæ stemmate Equitem deducit Cataphractum. Quodsi liliatum Parnassi olorem auscultamus:* *florum lilia Reges sunt & Principes?* *vel inde hic Ordo Equitum liliatorum erit, quando Te Principem Florentissimæ* CZARTORYSCIORUM *Prosapiæ adorat Posnania. Characteristico* CZARTORYSCIORUM *Equiti* Ordinem Equitum & Aquilarum *colimus sociatum, cùm utriusque Ideam in se repræsentet Bellerophon* CZARTORYSCIANUS. *Sive enim gravi ob Majestatem Principis vestigiô fuerit incedendum, in Cataphracto Equite graves intueberis Catones, sive in Lechicæ commodum Aquilæ pennas requiret Patria, Aquilinas amor addet alas, quibus Sarmaticus penniger in sublime gloriæ evolabit. Ordinatam esse Panegyrim nostram*

ſtram nec Catoniani homo ſupercilij negabit, ſiquidem ad CELSISSIMUM *Loci-Ordinarium non aliter ferri optavit, quàm cum* Ordine Equitum CZARTORYSCIANI *Equitis Honori juratorum. Ne quære CELSISSIME Paſtor ex quo Ordine veniunt ad Te Equites? nam primum Religioſis Ordinibus cedimus ordinem, nobis ultimum Minimæ Societati innatum vendicamus. Ultimo quamvis ordine, magnam* CZARTORYSCIORUM *ſubintramus DOMUM, facilem tamen ominamur nobis aditum, quia cum Clavigero Apoſtolorum ſubingredimur. Neq; ab ingreſſu tantæ DOMUS arcere nos poterit illud declamatum claſſicum:* non cuilibet licet adire Corinthum, *quia cum Paulo accedimus, cujus Apoſtolicæ Epiſtolæ facient nobis patentes etiam Corinthos inacceſſibiles. Cum Petro itaque ad Poſnanienſem properantes Cathedram, proni adoramus* Antiſtitem, *cum Paulo ad zeloſiſſimum feſtinamus*

Paſtorem, cum Principe Equitum Ordine, *ad Principem Domus* CZARTORYSCIANÆ *ingredimur Perſeum, in Cujus manuali Umbone geminas exoſculamur Cruces, ad quas pro votivo anathemate corda appendit:*

Ordini Equitum militans, Celſiſſimo Præſuli,

Devinctiſſimum Collegium Varſavienſe Societatis JESU.

PANE-

PANEGYRICUS.

ATtollite Avitam Posnaniæ (*d*)Portã Principes Apostolorum Posnaniensis Basilicæ Principes Nati! Rex gloriæ Princeps ingreditur THEODORUS. Agnosce Posnania Pastorem! Vides de avitis Turribus venientem ad Te Equitem cataphractum? ne quære: *quis est iste Rex gloriæ?* Princeps est, Pastor est, Senator est, verè Joannes Casimirus Rex gloriæ, quia *Casimirus* DEI gratiâ Episcopus. O! Petre Posnaniensis Cathedræ Princeps hæreditarie, Tuq;Comes in *Posnań*, Comes inquam individue Petri Paule! Principes Sacri

 Ro-

(*d*) *Stemma Posnaniæ: 3. turres, in porta duæ claves decussatim positæ.*

Romani Imperij! Habetis Principem natum; Duces in fide, *Ducem in Klewan* intuemini. Principaliter Tu prime Princeps Apoſtolorum Petre *Fili Columbæ* deſine ingemiſcere, & viduatam ſuo Antiſtite Cathedram deplorare! En cernis Præſulem illum, Cui avitas Poſnaniæ claves potes committere; Tu verò alter Apoſtolorum Princeps Paule habes Equitem CZARTORYSCIORUM, Cui Tuum gladiū concredere, magna erit Poſnaniæ ſors fortunata. Hactenus Poſnanienſis Princeps, Cathedralis Baſilicæ Paſtor Petrus *flevit amarè*, quòd Chriſtus Eccleſiæ Poſnanienſis, ille unctus Domini STANISLAUS HOSIUS ad ſepulchrale marmor Pedem offendiſſet Avitum, hactenus gemebat ille *Filius Columbæ*, quòd Tutelares STANISLAI aquilæ é terris ad cœlum avolâſſent. Nunc lætum Carmen è ternis Poſnaniæ Turribus auditur, ubi CELSISSIME THEODORE emortuum poſt fata STANI-

SLAI

SLAI Posnaniēsem Petrum velut Piotrovinum thaumaturgô Pedo reanimas ad lætitiam. (*e*) Mirabamur hactenus Stemmatographā Posnaniēsis Palatinatûs Aquilam nudatum Coronâ verticē præferre? sed mirari desivimus, ubi CoronamCapitis ejus, STANISLAUM HOSIUM super mortualem cecidisse lapidem lachrymabamur. Imposuisti Palatinæ Capiti alitis diadema, postquā Tuo Vertici addidisti Infulā, quâ omnium vota Te expectantium coronâsti. Vidimus inter avita Posnaniæ Arma geminas claves dispositas decussatim, signum hoc doloris erat, nam tali situ complicantur manus, dum aliquid sinistri cogūtur tolerare. Dispositæ ideoq; in Crucem claves Posnanienses, totam Urbem STANISLAUM deplorare testabantur. Tandem cum Tuo CELSISSIME ingressu characteristicæ Posnaniæ claves amænum instaurant organum, ostium recludunt felicitati. Geminas Posnaniæ claves

C à cla-

(*e*) *Stemma Palatinatus Posnaniensis: Aquila Candida sine Corona.*

à clavigero Cathedralis Basilicæ Principe Petro, Tibi deferri non miror, Magna utiq; DOMUS est CZARTORYSCIORUM, Cui etiam Romani Petri claves essent aptissimæ. Multa ad Magnam CZARTORYSCIANAM DOMUM ostia quærit honor, geminas idcircò claves offert Posnania. Hæc est enim illa DOMUS, Cujus si angularem scrutaris lapidem, integra nonnisi sæcula sunt refodienda, ut ad primum tantæ DOMUS lapidẽ queas pervenire. Sublimem esse CZARTORYSCIANÆ Familiæ Arborem ille non videt, cui aut livor suffudit oculos, aut ignorantia tenebras injecit supercilio. Triumphalem esse DOMUM CZARTORYSCIORUM tota narrabit Palæmonia, quando pro augusto Domûs Fundamento Avitam Columnam (*f*) jecit Prosper Cæsarinus, quam de Quirino septicollis Urbis Capitolio transtulit in Palæmoniam. Nimirum: cultissimi & eruditissimi CZAR-

(*f*) *Prosper Cæsarinus Princeps Romanus de stemmate: Columna, Proto-parens DOMUS CZARTORYSCIANÆ.*

CZARTORYSCII de Capite Orbis nasci debuerunt. Armatam Palladem de Cerebro Jovis prosilijsse Heliconius decantat chorus: Non dispares habet cunas armatus CZARTORYSCIORUM Eques, qui ut eruditam Minervam Capite complectitur, ita non impari Minervæ sorte nascendi, de Capite Orbis antiquam ducit genealogiam. *Sapientia* proculdubiò DOMUM *ædificavit* CZARTORYSCIANAM, ubi ad normam DOMUS Sacris in paginis Architectatæ stetit Columna cum Prospero Cæsarino. O! quot triumphales nunc colossos, quot perennaturos gloriæ obeliscos meremini CZARTORYSCII! si in primo in septemtrionales oras aditu Columnam meruistis. Meta alijs est columna, ad quam etiam infracti laboribus Alcidæ coguntur non plus ultra gressum figere: CZARTORYSCIIS plus ultra Carolianum convenit acclamare, quorum stemmatographus E-

ques à Columna hyppodromum eſt exorſus. Invidêre tantam DOMUS CZARTORYSCIANÆ Columnam fata Genti Littalanæ, ac ſepulchralem fecêre foveam; in quam tanto caſu cecidit illa Columna, ut totus Orbis ingemuerit Littalanus. Rhodio coloſſo tot ſæculorum ſtatori, ac tot centenis onuſto luſtris, jamq; per antrum immenſũ jacenti, poſthumũ quispiam exaravit cænotaphium: *Etiam jacens ſum miraculo!* Subruêre quidem ferali ligone Columnam Cæſarinum Parcæ, attamen etiam in Sarcophago jacens ſtetit miraculo, quando ſtatorem Palæmoniæ *Vitenem* reliquit Pronepotem. Hæc Columna illumorbi monſtravit ſtylitam Magnum Litvaniæ Ducem Gediminum Littalani OrbisRomulum Vilnenſis ſepticollis Conditorem, eò glorioſiorem, quòd illam Palæmoniæ Heliopolim ſolis Urbem, an ſolem Urbiũ, ejusq; ortum fraterno Sangvine rubeſcere non cenſuerit. Non de ferreo

reo lupo raucam narramus fabulã, dum de *Gedimino* lateritiæ Urbis Protoplaſta hiſtoriam exordimur.* Ferreum extra ſylvam Allegoriarum lupum in alto noctis conticinio vagantem ſomno preſſus viderat, vigil Palæmoniæ Argus GEDIMINUS, præſago forſan omine de ſuccedaneis hiſce ſæculis, quibus de Mavortia CZARTORYSCIORUM DOMO tantus olim ſit futurus Paſtor, qui etiam ferreos lupos bellico fuſos ære à ſuo ovili propulſaret Pedo Paſtorali. Aut ideò fortè Palæmonij ſeptimontij Romulo *Gedimino*, ferrei occurrerunt cum Morpheo lupi, quòd qui antiquos CZARTORYSCIORUM ignorat Aborigines, ille nec de ferreo lupo novit fabulam ore Univerſi decantatam. Aſt dum cum rauco calamo occurrimus lupo ferreo, dum illum in filo ducimus allegorico! bellici occurrunt arietes, quos *Kieyſtutus*, & *Olgerdus* Magni Ducis *Gedimini* Majores CZARTORYSCIO-

D RUM

RUM, Maximi Filij in Cāpū Gradini producebant. Ex tantis Majoribus Giganteo occurit paſſu ſolus *Olgerdus* Magnus Dux Litvaniæ Filius *Gedimini*, nā alij utpote CELSISSIMI brevi Panegyrici ſtylo nequeunt attingi. Hic eſt ille ſol Palæmoniæ biſſeno Filiorum Zodiaco Sereniſſimus. Si tunc integrô anni curriculô Ecclipſim pateretur Cynthius, ex Domo CZARTORYSCIANA menſes poſſent numerari, ubi quot Filij *Olgerdi*, tot ſigna Zodiaci Patrium cælum illuſtrabant. Mare dixerim *Olgerdum*, ex quo Phoſphorum duxit *Jagello* ſol Regni Sarmatici, aut veriùs Auroram, quæ Sereniſſimum Poloni poli ſolem anteivit *Jagellonem*. Non audeo Phæbum palpare digito, ac oratorio indigitare pollice *Korybuthum* Wiſniowieccianæ Cynthiæ Phoſphorum Principalem. Luberet attingere pennâ *Lubarthum Sanguſciani* pelagi fontem, niſi tanti Speculatores fontis, Narcyſſi hiſtoria deterreret.

Alia

Alia Palæmonij Zodiaci ſigna Olgerdi natos, ſi Oratoria digreſſione percurrere attentarem, aut ſolem Rhetorum æmulari deberem, aut integro anno in cõcinnanda Panegyri cogerer deſudare. Quapropter ex duodeno *Olgerdi* Filiorum Zodiaco non evoco in campum gloriæ Arietes Martios, Julium ſidus ſpirantes leones, ad metam gloriæ collimantes Arcitenentes, ſed Orientem proximè ſolem Cœlo affinis *Domûs* CZARTORYSCIANÆ adoramus *Korigielonem*. Aſt quid agis penna? ad ſolem cum CZARTORYSCIANIS provolas ceris? non Te Icari terret Cataſtrophe? Quò periodicæ ruitis rotæ? num CZARTORYSCIANUM aſſequi valebitis Equitem? Permitte uti Figurâ correctionis Magne Semi-DEorum Parens *Korigielo*! Huc flumina eloquentiæ! en Fontem? ex quo immenſum CZARTORYSCIANI Nominis promanavit æquor; Huc floridum ſtylum: en Plantam! ex qua CELSISSI-

MA prodijt Arbor Familiæ. Quiesce svada! (*g*) quinq; sæculorū curriculū in tam angusto spatio percurristi, ubi ad *Korigielonē* CZARTORYSCIANÆ DOMUS Archi-Patrem devenisti. Sicubi! hîc certè composîtô ad reverentiam stylô utendum est Panegyristæ, quia hâc Panegyricâ pēnâ Caput tangitur CZARTORYSCIORUM *Korigielo*. Sole jam clariùs est, quòd non patiatur plures soles illustris Olympus: Cum Principe siderū Princeps *Dōus* CZARTORYSCIANA morem gessit, atq; hæreditarium cælum divisit inter sidedera, inter Filios nempe *Olgerdi*. In tanto Planetarum horoscopo, primo CZARTORYSCIANI Nominis sideri *Korigieloni* Bona Czartorysk sorte divisionis obvenêre, ut divisū cum Jove imperium partiretur. Bona CZARTORYSK Nomen dedêre CZARTORYSCIIS, Bonos enim non aliter quàm à bonis decet nuncupari. Sic Macedo, Pellæus Juvenis, sic scipio Africanus, sic

(*g*) *Korgielo vixit ante quinq; secula.*

ſic ſexcenti Heròés immortale gloriæ Nomen derivârunt. Et hîc jam fateri cogitur Panegyriſtes, quòd nimis ſublimè ſit eluctatus, quandoquidem ſummum CZARTORYSCIANÆ Arboris apicem attigit paſſu fortunato. Cum Anteſignano CZARTORYSCIORUM *Korigielone* Palæmonium ſubintrarē Mauſolæum, niſi ſuſpenſum præ reverentia veſtigium tenere, Manes juberent quieſcentes. Colligerē in has Panegyrici paginas, Magnos poſt *Korigielonem* Aboriginum Cineres, ſi capere poſſent, quàmvis extenderentur in immenſum. Conſumptas in Patriæ commodum Majorum ceras vel in Cineribus demonſtrarem, ſi hoc aliquot dierum Opus, eſſet opus ſæculorum. Fateor: terrēt me Heroici Aboriginū Manes, quos ſi prodigioſa anaſtaſi è Mauſolæis producere attentarem, Centimanus eſſe deberem in tanta manu Congregatorum. Aut veriùs quis Palæmonicos celebrabit Stilicones? Honorios?

nisi vates Florentinus! quis Magnos Littalani Latij Anchisiadas, nisi Mantuanus! quis Augustissimos Theodosios? si non Pacatus! Quis inquam Palatinas *Michaëlis Georgij* Ducis in Klewan Palatini Sandomiriæ secures etiam acutissimus calamus condigno exæquabit elogio? Hic est Tuus CELSISSIME Avus, quem solum è Majoribus DOMUS CZARTORYSCIANÆ produco, in quo, ac si in tersissimo speculo, quotquot præcessêre CZARTORYSCII, quisq; potest intueri repræsentatos. Quantus, quantus ille fuerit? Angelus Magni Consilij quâ *Michaël*, priscis Heroibus palmam præripiens Triumphalem, quà *Georgius*, Stadiodromus gloriæ quâ *Dux in Klewan*, maximis dignus encomijs, quia unus de Majoribus CZARTORYSCIORUM. Ut hi breves dictorum de Michaële Palatino Sandomiriæ Tuo CELSISSIME *Avo* Articuli fidem mereantur, Regiam interponit authoritatem Characteristicus

cus (*h*) Sandomiriæ Rex, atq; Regio decernit oraculo, Palatinas Sandomiriæ ſecures impares fuiſſe Arbori Familiæ CZARTORYSCIANÆ. Tunc vel maximèSandomirienſisRex induit purpuram ruboris, cùm *Michaêl* Palatinus Senatorium Sandomirienſis Curulis indueret laticlavium. Et quidni erubeſceret, ubi Sandomirienſem trabeam Magnæ *Principum* CZARTORYSCIORUM DOMUI advertit non eſſe ad æqualitatem. Etenim hic eſt *Michaël*, Archangelus Sandomiriæ, Princeps Angelorum Lechiæ Nuntiorum, ſub Cujus Angelica cuſtodia, cœleſtem ſe agere vitam exiſtimabat Sandomiria. Hoc unicum ad Archangelicum *Michaëlis* Nomen defuit, quòd non fuerit (ut optabat Polonia) immortalis. Quis crederet invidiâ poſſe tangi cælos? invidit citra dubium polus Michaëlem terreſtrem Archangelum, quem terris eripuit, & Angelicæ annumeravit Hierarchiæ. O! nimis

(*h*) *Stemma Sandomiriæ: Rex in ſolio.*

brevis *Apparitio Michaëlis* in terris! id tantùm timebat Sarmatia, ne desineret. Verumtamē dispersā cū sole manū *Michaëlis Georgij* nō potuêre Parcæ ita funereis cōstringere vinculis, ut de sublato inter Cœlites Michaële, nihil orbi Polono relinqueretur. Non totus abijt è terris, *parte sui meliore nitet* inter mortales, in *Celsissimo, Jllustrissimo, Excellentissimo CASIMIRO Duce in Klewan* Castellano Vilnensi, Tuo CELSISSIME Antistes Progenitore. Et hic jam Polone ales assvetam soli pupillam reflecte ad *CASIMIRUM* in Cujus Nominali Iride tot suspicies colores, quot cœlestis arcus complecti autumatur. Viridem in floridissima CZARTORYSCIORUM DOMO; in qua Romam in flore, amorem sui vernantissimum Patria experitur. Purpureum in Senatoria trabea, cui sublimiorem addit colorem, cum primo vitæ filo ducta purpura è Principe DOMO CZARTORYSCIORUM. Cæruleum præsefert

co-

colorem cœlo affixa mens *Celſiſſimi*, ut faciliùs cœlo detraheretur Iris, quàm Mens *Caſimiri Celſiſſimi* cœlum ambiens cum Iride Nominali, à cœlo avellatur. Sic videlicet: cœleſtes animæ vivunt in terris, & dum veſtigio humum conculcant, animo præhendunt Olympum. Dum demiſsô præ Principali Majeſtate superciliô ſpecto *Caſimirum Celſiſſimum*, ad Proavorũ imagines oratorium cultũ CZARTORYSCIANÆ DOMUI ſemper devotum non extendo, quia in Caſimiriàna *Celſiſſimi Caſimiri* Jride purpurei Principũ CZARTORYSCIORUM colores ad vivum demonſtrantur. Caſimiriana Iris Oratorios etiam fontes trahit in elogia, qui leni ſuſurro ſuam fatentur tenuitatem, quòd non ita ſint pellucidi, ut faciem DOMUS CZARTORYCIANÆ in CELSISSIMO expreſſam CASIMIRO poſſint repræſentare. Novus quiſpiam Apelles ante retroacta aliquot ſæcula, ubi Majeſtuoſam raræ

 for-

formæ faciem vivis animare coloribus ſe poſſe deſperaverat, velô obduxit faciem, ut ſuam tegeret inſcitiam: Idem evenit Panegyriſtæ, qui dum cunctorũ retrò CZARTORYSCIORUM faciẽ in CASIMIRO miro artis invento adumbratam nequeat ad vivum transferre inhas Panegyrici paginas, Oratoriâ non tam togâ, quam rubore, nec *CASIMIRI CELSISSIMI* vultum, ſed ſuam faciem cooperit, quòd Panegyricô penicillo nequeat depingere *CASIMIRUM*. CZARTORYSCIANUM ſecutus Orator Equitem, viam ingreſſus à *Celſiſſima* Proſperi Cæſarini Columna, poſtquam è Magna CZARTORYSCIORUM DOMO per tot ſæcula extenſa, ſinuatum in adorationem genu effert, ampliſſima ſeſe offert Domus *Morſtyniorum*. Materna hæc eſt CELSISSIMI PRÆSULIS linea, quæ ad Regium usq; Thronum *Scotiæ* extẽditur, atq; Purpuram CZARTORYSCIORUM bis tinctam efficit, Regio ſcili-

ſcilicet Sangvine & Principe rubeſcentem. Quàm immenſum debeat eſſe Scotici Sangvinis æquor, quod ad Poloniæ uſq; Campos diffunditur, ac per Magnam fluit DOMUM CZARTORYSCIORUM. Hunc Regiũ Scotiæ Sangvinem Corpori Regni Sarmatici infudit Tua CELSISSIME Genitrix *Celſiſſima, Jlluſtriſſima, ac Excellentiſſima* ISABELLA ANDREÆ MORSTYN Supremi Regni Theſaurarii Filia, theſaurus Regni æſtimatiſſimus. Enimverò tam pretioſiſſimus & Regiâ dignus Coronâ unio, non aliunde ſumi debuit, quam de Supremo Regni theſauro. Paternâ & Maternâ lineâ, ſimulq; vibratô CZARTORYSCIANI Bellerophontis gladio, ac Regio ad MORSTYNIOS productô ſceptro metire Poſnania *Celſiſſimũ Præſulẽ* THEODORUM CASIMIRUM! Si enim Phæbo aſtrorum Principi cum primo ortu dat purpuram Aurora, quidni *Celſiſſimus* Princeps Præſul ſol poſt

F2 occa-

occaſum HOSIJ exoriens, purpureis cum Aurora vitæ fulgeret incunabulis, Optatam ſpera Poſnania ſerenitatem nullo temerandam turbine! etſi Ortus *Celſiſſimi Præſulis* rubeat purpuris hæreditarijs. Terret forſan Poſnaniam, populari aura ceu vento per Orbem diſperſus ille Aſtronomicæ obſervationis pæan: *dum manè rubeſcit, ventus vel pluvia creſcit:* Primum quidem manè CZARTORYSCIANI Ortûs à Proſpero Cæſarino Principe proſperè illuceſcens rubet purpuris, ſed rubeus in Domeſtico CZARTORYSCIORUM cœlo à purpuris refractus color, illos nonniſi ominatur, qui conjurati veniunt in Claſſica venti, ut Lechicam claſſem ad fortunatas propellant Inſulas; illam præſagit pluviam, quæ Campeſtri Poloniæ non ſterilem portendit manipulū in THEODORO CASIMIRO Regium JOANNIS CASIMIRI Sangvinem, rectà per lineas Familiæ velut per venas attingente, aſt Aureā glo-

gloriæ messem pollicetur. Hanc spem in herba habuit Patria, cùm *CELSISSIMUS THEODORUS* adhuc esset in flore juventutis. Ut enim cœli Princeps natus, Princeps Planetarum Titan, vix æquoreis levatur ex aquis, vix primum in climate nostro ponit gressum, futurum de se habet augurium, quis erit aspectus oculi cœlestis Hyperionis. Si ad purpureum CELSISSIMI THEODORI Patriæ Phosphori Ortum reflectimus animæ oculũ memoriam, ab Aurora illius ætatis, aureas Patriæ horas insonuisse audiemus. Si Cumeæ etiam Sybillæ stetissent ad Cunas CELSISSIMI THEODORI, non aliud promerent judicium, nisi *Dono DEI* datum esse terris THEODORUM asseverarent. Tua siquidem CELSISSIME THEODORE prætexta totam futuræ vitæ mappam præferre videbatur, & quantus olim futurus eras, detexit indubitatè! Et certè cur fortunata omina formari non debuerant, qui cum

prætexta togam Catonis, palliumq; Sophorum communi voce dicebaris induisse. Flos Tuæ ætatis non tenuit *sub rosa*, qualem speraret Ecclesia, dum *Præsuleis* violis humeri reflorescent. Multorum flos juvenilis meritò carpitur, quòd nec ad sacras Templi aras portari valeat, nec *Hortum Conclusum* novit adornare. Tuæ CELSISSIME PRÆSUL ætatis flos illam redoluit pietatem, ut natus aris videreris flosculus, dignus arâ honorum quàm maximâ. Mirus certè casus *CASIMIRE Celsissime* florem ætatis otio non langvescere, aut non decidere animo, quando meridiani curarum æstus adurunt ipso sole calentiores. Quod in alijs miramur, tecum crevisse virtutes agnoscimus, ac si ijsdem necterentur fascijs, per omnia annorũ lustra coëtaneæ THEODORO. Litatum virtuti florem ad literariam Minervæ tulisti arenam, ut inter Atticas grandesceret noctes, antequã summus honorũ meridies affulge-

ge-

geret. Nullibi enim meliùs teneriores plantæ uberiore gēmant fructu, quàm in pulvere literario. Non exiguus eorum atrô notandus theta elenchus, qui ſuam ita terunt prætextam, ut cum inter togatos Patres conſedendum fuerit neceſſe, ſolo coòperiuntur rubore, quòd tenuiorem prætextam aut Scholaſtico non expoliverint ad decorē pulvere, aut malè attriverint non præcincti. Totô cœlo diſtas ab horum ſyllabo CELSISSIME, qui Characteriſtici Equitis Umbonem, Palladis ſociâſti Ægidi, ipſe olim Palladium Sarmatici Jlij opportunum. Quanta gloriæ reſplendes luce, quòd Avitas ceras ſub teneriores juventutis ſoles difluere otio non ſinebas, aſt inter literarias Umbras cōſumebas. Vix per aviti Perſei ſcutum reptare ceſsâſti, ludus Tibi non alius arridebat, quàm literarius. (*i*) Agite Memnonas domeſtici CZARTORYSCIORUM Penates ad ortum juventutis CELSISSIMI THEODORI! Succedaneis nar-

 ra-

(*i*) *Privatô ſtudiô literis dedit operam usq; ad Rhetoricam.*

rate ſæculis, quid Aviti Equitis gladius egit? cùm teneriore adhuc manu THEODORI præhenderetur. Intra Domeſticos Lares, Claſſes Minervæ conſcendiſti, ut toti conſtaret orbi, in CZARTORYSCIANA DOMO Principes naſci Minervas ad Orbis eruditionem. Principalem CELSISSIME favorem vel inde experta eſt Societas JESU, quãdo Emmmanuelẽ Societatis ad Tuã invitâſti Domum, ſicq; eum privatim tractâſti, ut publicas dein ſperneret menſas ſapientiæ à Te CELSISSIME propria manu tractatus Emmanuel. Permiſiſti Ei ut Tuum amplecteretur Caput tam forti amplexu, ut avelli nequeat etiam ad momentũ. Aſt quid in arena Palladis cum ternis Claſſibus hæret ſvada? quãdiu ante prima Minervæ limina ſtabit facundia? ſublimius Palladis Domeſticæ conclave permitte CELSISSIME ſubintrare. Claſſibus literarijs poſtquàm coronas impoſuiſti, in laurigerum Apollinis bicollem deſcendi-

ſcendiſti. Poſt cortinam tamen Domeſticorũ parietum loquebaris cum Apolline, novus extra Delphos Apollo, cum & Delphicũ numẽ poſt cortinã dabat oracula populo venienti. Retroactorũ prodigia ſæculorũ innovâſti, quando montẽ Parnaſſum intra parietes tranſtuliſti. Thaumaturga certè dextera! & magna fides Tuæ citharæ Apollineæ! Didicit à Te CELSISSIME ſublimem Apollo tranſlationem, cùm ad ſublimẽ CZARTORYSCIORUM DOMUM collẽ transferres Heliconium. Eruditioris voce populi Nomen ſolis vendicat Apollo, qui dum intra Polonum poſum Avitis CZARTORYSCIORUM in Te Ceris ſuo non ſuffecit lumine, ad exterum ſolẽ ferre debuiſti, ut gemina ſolis parelia tantas Ceras illuſtrarẽt. (*k*) Laureas itaq; Apollineas ad Caput Orbis detuliſti, ut ſenſum de Polonia conciperet, etiam ſub frigido ſeptemtrionis cœlo Atticas fervere noctes exteri ſolis ad invidiam. De Lechico Car-

H pato

(*k*) *Rhetoricam audivit Romæ bienniô, Philoſophiam trienniô, in Seminario Romano, & publicè defendit ex Univerſâ Philoſophia, Ibidẽ Theologiæ dedit operam.*

pato Quirinum ivisti ad septimontiũ, ut exulẽ quondam Tullium Dominæ Urbium restitueres. Si tunc videre liceret, quanto fastu jactabatur flumen eloquentiæ? quòd Principem illi Sangvinem affudisses. Bienniô Te intra Latium Tusculum tenuit Arpinas, quẽ puro simillima fonti svada Tuc ab ore fluens uno anni decursu non potuit satiare. Diutiùs Te CELSISSIME intra Dialecticos teneret locos, nisi suis timeret fontibus, nè illos ad fundum exhaurires. Dimisit quidem Te CELSISSIME è suo Tusculo Romanus Tullius, sed illa facie, quali de Quirinis egredientem mænijs Tulliũ Roma comitabatur. Secundo igitur fluctu, de Alto fluminis eloquentiæ, Latio vela dedisti Eurippo, Tullio Aristotelẽ adjunxisti. In primo in stoam Tuo ingressu CELSISSIME, imparẽ esse Peripathum censuit Aristoteles, Lechico gloriæ stadiodromo Equiti CZARTORYSCIANO; pallium Philosophicũ Purpuræ CZARTORY-

TORYSCIANÆ esse inæquale judicavit. Ita enim in Logica versabaris caligine, ut Cynthia in noctis umbris, aut sol in aprico meridiano. Mutavit caliginosum Logica Nomẽ, postquàm fulgẽtissimas per Europã ceras CZARTORYSCIORUM in Peripathũ intulisti. Naturalem exorsus scientiam, ita illam sublimi tractâsti ingenio, ut Tecũ nata esse videretur. Cum de *Mundo* discurreres, Pellæo juvene majorẽ esse agnovit Aristoteles cui unus Orbis non sufficeret. De cœlo tam sublimes promebas conceptus, quasi subtilis Angelus loqueretur. Tanto scientiæ refulgens splendore, ubi ex Literarijs umbris in publica luce Cathedram cõscendisti Aristotelẽ defensurus, illud de Te CELSISSIME judiciũ formavit Caput Orbis Roma, quòd nec Aristoteles gloriosiore stetisset gradu, si exedram conscendisset. Philosophica descendentẽ ab exedra, salutavit Thomas, aut certè Te pro Aquinatico Thoma salutâsset nõ

fictè Alberti Caput, si post argumentũ Thomæ in *Ferio* loquelã non amisisset. Attamen pro ficta Alberti Capitis salutatione, Te CELSISSIME Theologica Capita Thomã salutarunt redivivũ, & Angelicum esse declararent, nisi hominem esse ex Corpore devenissent. Novum Te esse Aquinatẽ recognovit Caput Orbis Urbs septicollis qui *solem justitiæ* Theologicũ è pectore Thomæ in Caput transtulisti capacissimum. Quisquis Te CELSISSIME vidit in Capite Orbis, redivivã esse censuit scientiarũ Palladem, somniatô Jovis genethliaco veriorem. Nec verbum ommitterẽ de Tuo Canone, sed Stentorea declamarẽ voce, nisi *missa* ad Te Panegyris Tacitũ agere, juberet. Toti inquam Orbi Canones in Tuo Capita contentos decantarẽ, si rubrum Purpuræ CZARTORYSCIANÆ non prohiberet, de quo non aliter loqui decet, quàm *submisse*. Aut veriùs de digestis in Tuum Caput Jovi simillimũ scientijs, nec Canonũ ff possunt

ſunt enarrare. (*l*) Refracta eſt ad Vaticanam Petram Vocalis gloriæ Echo, audivit *Miles in bello* de CZARTORYSCIANO Equite, triumphalem in ſtadio literario hyppodromũ peragente, nec potuit Supremum Eccleſiæ Caput ferre, quin eruditum *Celſiſſimi* THEODORI verticem laureâ redimiret coronariâ. Geminis proinde clavibus Petri concluſit de THEODORO BENEDICTUS, ut apertô Pontificij pectoris oſtio *Equitẽ* CZARTORYSCIANUM referret inter *Ordines*. Primum ex *Majorum* numero *Ordinum* deberi THEODORO decrevit, primus enim ſẽper honor debetur CZARTORYSCIIS. Vidit de excelſo Vaticanæ Petræ *Beatiſſimus* in *Celſiſſimo THEODORO* velut in Idea, magnam eſſe Domum CZARTORYSCIORM, ideoq; à *Majorum* ſyllabo *Ordinum* præmia exorſus ordinare Ordinis *Equitis* CZARTORYSCIANI. (*m*) Vaticana reducem à Petra, Rupella ſuſcepit Cracovienſis, ac velut de Canonico oculo, de Craco-

I vien-

(*l*) *Subdiaconatum accepit à Benedicto XIII. qui juxta Prophetiam Malachiæ:* Miles in bello.

(*m*) *Româ Canonicus Cracovienſis redijt.*

vienſi Canonico exiliebat præ lætitiæ magnitudine. Latitant pleriq́, in Latio cum Saturno, nec quidpiam publica dignum luce ab extero referunt ſole. Magnæ documentum virtutis eſt, avitas Ceras ſub extero non diffluere ſole: Phœbeis clariùs radijs elucet id in Te *Celſiſſime* THEODORE, qui ita CZARTORYSCIANAS ad Occidentẽ Italiæ tractâſti ceras, ut *Agnus* DEI dicereris ab univerſis. Multum Tibi debent Nominales Poloniæ Campi, multum debet Campus Floræ, qui expetitam Aurelij votis *Romam in Flore* Quirino reſtituiſti. Redeunt non pauci àLatio occidente majores trahentes umbras Illuſtriſſimum etiam nomen obſcurantes: orientem ſine nube felicitatem cum Tui adventus Phoſphoro adoravit Lechia, cui è Saturni Latio aurea ſæcula revexiſti. Reducem Tecum fortunam è ſuo Vavelo advertit Cracus, quem Canonicâ indutum purpurâ in Cracovienſi (*n*) Porta ſalutavit. Tota proculdubio Cracovia

(*n*) *Stemma Cracoviæ: 3. Turres cum una Porta.*

covia *quâ datâ portâ* effunderetur in occurſum, ſi plures portas egrediendi nanciſceretur. Heſperium eſſe hortum Cracoviam dicam non immeritò: jacuit in incunabulis Poloniæ ſubCraci VaveloDraco,aurei cuſtos pomi olim ex CZARTORYSCIANA naſcituri Familiæ Arbore, Te loquor THEODORE *Celſiſſime*, qui aureum Regni pomum judicio Deorum datus es *pulcherrimæ urbium* Cracoviæ in Canonicum. *Risêre* quondam *tetricæ rupes*: triſtem Stanislai Martyris Rupellam expedita nubibus fronte ſerenâſti, ubi Canonicis purpuris Principum CZARTORYSCIORUM trabeam addidiſti, ſangvineo Szczepanowii murici concolorem. Nuntiavit Plocenſis Aquila Plocenſis Cathedræ Priamo Miecislao novæ ſepticollis in Viſtuleo colle Romulo, (*o*) hic PlocenſisCathedræ Indigeti Sigismundo, de Principe Cracovienſis Cathedræ ſorte, quam in Te Canonico reperit ad invidiam aliorum. Non po-

 tuit

(*o*) *S. SigiſmundusTutelaris Plocenſis Cathedræ, cujus Caput ibidem aſſervatur.*

tuit longiorem pati moram Sigiſmundus, quin Te dignum muſis Sigismundi nominalibus, ad ſuum invitaret fontem, ut novo Fontinalium ritu Sigismundi coronares puteum votorũ Corona univerſorum. (*p*) Decebat nimirum: ut Capiti Sigiſmundi accederes pupilla Prælatorum, ut Plocenſi Paradiſo Capitis humani reconditorio obvenires Cherubinus cum flammeo & verſatili gladio *Equitis* characteriſtici. Vidit ternis Poſnania è turribus Te in Plocenſi Capitolio, Capitolino majorem Jove, quas Tuum demiſit ad calcaneum, ut Poſnanienſem Cathedram paſſu aſcenderes fortunato. Tetigit hic nuntius Caput Plocenſis Cathedræ Sigiſmundum cui ſemper ad mentem fuiſti, nec tantam coronam ſuo avelli capiti pateretur, niſi Petrus Baſilicæ Poſnanienſis Jndiges Pontificiam interponeret authoritatē. Non levi afficiebatur dolore Caput Sigiſmundi, cum Te oculum ſibi eripi quereretur. Debuit verumtamen ſum-

(*p*) *Præpoſitus Plocenſis, & Dux Sielunenſis.*

ſummis illum cedere Capitibus Apoſtolorum Sigiſmundus, ne Apoſtolorum Principes purpurâ deſtituerentur CZARTORYSCIANA. Hæc novo Divorum Heraclito Petro irriguas abſterget lachrymas, quæ per tempora à ferali *Hosii* die fluentes, Petram cavabant nominalem. Non ventilet ampliùs in publico ſole, populari aura, aurea Timotheus retia, quæ meris plena ſomniis trahebat cum Morpheo: felicior Piſcatoris Petri ſagena, quæ nunc oculatior evaſit, ubi aureum oculum, Præſuleum ſcilicet annulum addidiſti. Submiſiſti Poſnanienſi Infulæ Caput, quod literariæ devinxerunt tæniæ, virtutes candidô prænotârunt lapillô, Atticæ declarârunt noctes, univerſitas ſcientiarum egit prodromum, quas etiam in Capite Orbis Romæ pertractâſti. Sic eſt: gemini ſuffragiô *Ordinis* virtutis nempè & ſcientiæ, eruditiſſima Pallas primis Apoſtolorum capitibus, ceſſiſti in Antiſtitem. Aſvetam Præſulibus ſubſcri-

ptionis formam in Te velut in speculo intuemur, qui verè *Dei Gratiâ* es Antistes Posnaniensis, quia *Dono DEI* datus THEODORUS. Nunc! Etymologica cognitione Tuam agnosce prosperitatem Posnania!(*q*)quæ uno hactenus gloriabaris *Dono Dei*, uno duntaxat inter Posnanienses Præsules THEODORO, aliud hodie Cælites *Donum Dei* obtulêre in *Celsissimo* THEODORO. Facies est testis, facies inquam rerum Sarmaticarum, in qua exarata de Theodoro I. elogia, quia Tui *Celsissime* THEODORE II. imaginem delineârunt, in hanc paginam tanquam in tabulam transferimus ad vivum: *sic cælum optimos prævidet, quibus suam provideat Ecclesiam. Ut avidè expectatus, sic gratè susceptus Ecclesiæ Pastor, Patriæ Senator, singulorum amor.* En Phæbum in diaphano relucentem! en Iliadem in nucleo! quā nec sera erodet vetustas, licèt mordicùs tenebit ad perennitatem. (*r*) Si quan-

(*q*) *Hoc nomine: Theodorus, unus tantùm fuit inter Episcopos Posnan:* Facies rerum Sarmati:

quando veriore titulo *Horologium Principum* potuit nuncupari Posnania! hodie id sibi vendicat nomen, ferreo stylo indicat Eques Principum CZARTORYSCIORUM. PrincepsPosnaniensium Præsulum quaternio, triumphalem gloriæ currum Præsuleis deferebat curulibus, ad quem ubi CZARTORYSCIANUSaccessitEques, Phæbeô secundiùs quadrijugo, candidos Patriæ revehet dies. In Posnaniensi *Horologio Principum* semper prima etiam panegyricô stylo indicatur hora FLORIANO Duci *inKlewan* CZARTORYSKI. *Hic mille coronandus elogijs, qui dum Dux eruditorum, eruditas vertici prætulit laureas, Ducales á sanguine, Ducales à Primatiali honore ornavit tænias, dum se eis Præsulum Princeps donavit ad gloriam. Nihil unquam spirabat nisi Divinum, humanum nihil habuit, nisi quòd mortalis esset. Tribus decorus Tiaris, Posnaniensi, Cujaviensi, Gnesnensi.* Hæc dum in Facie Rerum Sarmaticarum vidit

 Ora-

(r) *Præsules Posnanienses Principes fuerunt quatuor.* Facies rerum Sarmat:

Orator, Tibi ſimillimum eſſe per Præſuleam juraret dexteram, qui veriore virtutum lineamento FLORIANI imaginem refers, quam olim Kryvouſtus Vladislai Genitoris prototypon pectorale. Nec dum cum Hiſtoricis avolavit pennis é memoria poſteritatis illud Lechicæ humanitatis argumentum, quô ad exteri ſolis ſplendorem *Boleslaus Chrobry* Hoſpiti in Lechia Ottoni III. à Poſnanienſi Aquila ad Nidum Aquilarum Gneſnam procedenti, ſub auguſtos pedes jecit purpuram ad ruborem Gentium exterarum. Non ſub *Roſa* eſt FLORIANUS CZARTORYSKI, Cui à Poſnanienſi Cathedra ad Nidum gloriæ provolanti, Primatialem & Gneſnenſem Lechia purpuram ſubjecit, ac ternis coronavit caput Infulis dignum Triregno Vaticano. Nimirum: Poſnanienſium Apoſtolorum limina, ad primam in Polonia dignitatem ſemper ſtāt aperta,(*s*)per quæ pares Angelicis Choris Præſules ab Apoſtolis Poſnanienſis

(*s*) *Ex Poſnanienſi Cathedra ad Gneſnenſem aſſumpti ſunt jam novem.*

ensis Basilicæ, ad Gnesnensem Adalbertum cum Primatiali tænia prodière novem Archangeli Provinciarum. Ita est: Primis Apostolorum Posnaniensium capitibus semper primæ debentur Tiaræ. Quid enim in Principibus non principale, etiam hæc panegyris Principalis est, quia *Celsissimo* Principi venit in obtutum. Vivum esse panegyrici stylum liceat humili jactare periodo, quando Principali CZARTORYSCIORUM spiritu animatur. *Anima rerum Ordo*: Ordinis *Equitũ & Aquilarum* tot immortales animæ, quot CZARTORYSCII in Corpore Regni Sarmatici primum vivens esse audiunt. Principale etiam inter Angelicos *Ordines* Nomen MICHAELIS Procancellarii Palæmoniæ, cujus signatoria gemma unio est animorum. Sit Historicæ articulus fidei de Epirotæ digito, ac si in annulari ejus Orbe Chorum ageret Parnassus: in signatorio MICHAELIS annulo eligeret Parnassum Apollo, si in erudito MICHAELIS vertice

L Heli-

Heliconem non reperiſſet. Inæſtimabili Procancellarii gemmæ ingeminat decorem unio Domûs *Waldſteyniorum*. Ex alto Domûs *Waldſteyniorum* pelago non abſimilis, profluxit gemma, ELEONORA Laviniarum ſelectiſſima, cujus etiam MICHAEL Archangelus Palæmoniæ, Hymenæum cenſuit feliciſſimum, quantumvis Angeli neq; nubent, neq; nubentur. *Ordine* Celſiſſimæ Lucinæ venit re & nomine AUGUSTUS ALEXANDER Palatinus Generalis Terrarum Ruſſiæ, in quo nihil non auguſtum, nihil non maximum in Alexandro, in Palatino quid non Hectoreũ, qui pro Patrio Ilio avitum devovet Perſeum in hecatomben. Non deeſt ſiquidem etiam extra Dardaniæ Pergama nova Helena SIENIAWSCIORUM MARIA SOPHIA, quæ eò glorioſior, quòd in Lechiæ Troja illã fovet flammã, quæ à Veſtalibus immolabatur. Patrium CZARTORYSCIORUM cælum purpuris rubeſcens habet ſolem in geminis in LUDOVI-

CA

CA & CONSTANTIA ſororibus, quæ ut alterno honoris choro, Majalia æmulantur ſydera, ita perennis Majus in annis revireſcat. LUDOVICA ut Nominales ludos Numini ad guſtum condiret, ſales adhibuit Divi *Saleſii*, ut *viſitaret oriens ex alto Ludovicam*, voluit eſſe Incola Domûs Religioſæ à *Viſitatione*. Conſtantem ſpondet fortunæ rotam nomen CONSTANTIÆ, quæ in aureo PONIATOWSCIORũ Hydaſpe feliciùs Polycrate Hymenæi annulo deſponſavit felicitatem. Præſuleo Tuo *Celſiſſime* Annulo tota ſe ſe offert Manus Congregatorum, adamantino Proſapiarum nexu Colligatorum. Quanquam hic labor, hoc opus, tenuiore ſtylo colligatæ Familiæ lineam ad Regia, *Jagiellonicum* & *Scoticum* ſolia, protenſam emetiri. Sublimis Jagiellonum & Scotiæ Regum Regia Domui CZARTORYSCIANÆ contigua, ut planè rara ſit Purpura, quæ in ſangvine non tingatur CZARTORYSCIANO. Habes diem ſolis in

WISNIOWIECCIORUM Phæbe, in SANGUSZCIORUM, KORECCIORUM, OSTROGIENSIUM, ZBARASSIENSIUM Principum murice, Ariadneo fortunatius filum, quô amplitudinem Domûs CZARTORYSCIANÆ liceat devenire. Quis tamen Oratoris faſtus? inter exiles Panegyrici margines velle claudere Oceanum Familiarũ: TARŁONUM, SIENIAVIORUM TĘCZYNIORUM, CHODKIEWICIORUM, ZOŁKIEVIORUM ZAMOYSCIORUM, LUBOMIRSCIORUM, SAPIEHARUM, RADIVILLIORUM, DONHOFFIORUM, BRZOSTOWSCIORUM, SZEMBEKORUM, OGINSCIORUM, POCIEIORUM, POTOCCIORUM, PREBENDOWSCIORUM, ZAWISZARUM, WOŁŁOWICIORUM, TYSZKIEWICIORUM, alias quoq; *numera Stellas* ſi potes? cum Jagiellonici ille manipuli Joſeph Jagello, etiam ſoles Regnorum ad Domum CZARTORYSCIORUM inclinaverit. Tantus

tus Conſangvinitatis nexus Petro ad vincula debebatur! Petro videlicet Poſnanienſis Cathedræ Cuſtodi, ad tantã Domum claves Petri referri debuerũt. Pleno nunc ore confitebitur Petrus: *Tu es Chriſtus* unctus Domini in Antiſtitem Poſnanienſem. *Vas Electionis* Paulus, ſemper erit *Paulus in ore* TIBI *Celſiſſime* ſuo Aurelio aurei oris Præſuli Poſnanienſi. Primos ex ordine Apoſtolorum Principes Minima Ordinum Religioſorum Societas pediſſequa comitatur, ipſe LOJOLA cum fracta tibia ad ſuum recurrit Petrum incolumitatis Authorem, ut TUÆ *Celſiſſime* ſit adſtes Cathedræ, ad quam nunc Eques carpe viam, quoad ſublimiores accelerent curules, vel rota Cardinalitia appropinquet. Nemo in Romana Petri Cathedra ſedet annos Petri, CZARTORYSCIANUS Eques centeno annorum decurſu hanc legem tranſiliet, cum Palatina Poſnaniæ Aquila bonis transvolabit aquilis: Ita Cathedralis ſuo Equiti vovet ORDO EQUITUM & AQUILARUM.